31

AD ANNAM AVSTRIACAM, LVDOVICI XIV. GALLORVM REGIS CHRISTIANISSIMI,

Reginam Matrem Regentem,

DE IVLIO MAZARINO,

ſolenni Senatuſconſulto fugere juſſo,
8. Ianu. 1649.

IVſſus ab everſo Mazarinus cedere Regno,
  Perdidit exilii notus vbique, locum.
Omnibus exoſus Populis, Terrâque Marique,
  Nullum ad quem, aut per quem, poſſit abire, videt.
Ipſa in Sicania, quamvis oriundus ab illa,
  Antrum quo lateat, vix Polyphemus habet:
Vellet abire tamen, ſed tu, Regina, Tuorum
  Immemor, extraneo cæca furore tenes:
Fatalis fluit ecce dies, eat advena Prædo,
  Dum ſecurum aperit Gallus inermis iter:
Quid prohibes fugere incauto crudelis amore?
  Si nolis letho perdere, perde fugâ.
Eſt fuga pœna levis, ſi ſit tibi publicus Hoſtis,
  Si privatus Amans, eſt fuga ſola ſalus:
Tutæ ergo & iuſtæ, ſeu vis punire merentem,
  Seu vis immerito parcere, cede fugæ:
Noſtrarum ſatis hauſit opum viva illa Charybdis,
  Sanguinis & noſtri ſat novus ille Cyclops.

Flagret apud Siculos, Annâ non dignus, at Æthnâ
Dignior, hæc Monſtrum Patria & Aula decent:
Sed properanda fuga eſt: felix illique Tibique,
Felix & Nobis, ſic novus Annus erit.
Eſt Mazarinus adhuc, ſed ſi miſera Anna moraris,
Non Mazarinus erit, ſed miſer annus erit.

FINIS.

IVLII MAZARINI EPITAPHIVM.

Sta, Viator,
Si Gallus es:
Et ſiccis oculis iſta pellege,
Hic iam lacrymis non eſt opus, ſed plauſu.

TAndem ſub modico pulvere
Iacet
Centimanus Gigas Iulius Mazarinus:
Obiit, dum virilem adhuc degeret ætatem,
Nam Monſtra non ſeneſcunt:
Obiit ante præfixum à Natura tempus,
Nam citiùs cadunt fructus præcoces:
Obiit in ipſo ſinu Galliæ,
Nam illi pœnam debebat Talionis:
Mors eius prævenit funus Publicum,
Perieras, ni periiſſet!
Hic vir, hic eſt,
Qui filius olim Trapezitæ in Italia,

RBC/NcU

Paterni ſtudii memor, Cambium exercuit in Gallia:
Hinc tot devecti trans Alpes Iuſti,
Sic inibi frequentes, vt vix agnoſcant exilium ſuum,
Nil ferè ſupereſt, vnde quis Gallos eos putet:
Docet eorum originem & ius in eos tuum,
Sola imago Regum Tuorum.
Hic vir, hic eſt,
Qui famoſus Aleator, luſit Galliam & Regem,
Ipſum Deum:
Iſtorum omnium tandem ludibrium factus, quia
Sponte feſtinavit in ruïnam,
Sic aſſuetus rapinis, vt etiam factus ſit ſacrilegus:
Poſt ſublatas Tibi fortunas,
Poſt ademptam Viris fortibus Libertatem,
Poſt ereptam Reginæ ſupremam Authoritatem,
Rem omnium ſacerrimam, adeoque Tibi cariſſimam,
Regem Tuum à Deo datum ſubripuit;
Gradum ſibi fecit ad hoc ſcelus per priora:
Verùm fauſtus ille Tibi raptus, ex quo
Maior appareat obſervantia & fides Tua;
Nimirum oportebat, vt quem à Deo lacrymis obtinueras,
Eum Tu proprio ſanguine ex ſacrilegi hominis manibus
redimeres.
Hic vir, hic eſt,
Qui dolos & artes prætulit ſemper Virtuti,
Nemini carus, quia neminem amavit:
Inviſus omnibus, quia nulli beneficus,
Cunctis perfidus:
Hinc argue, quàm iuſtè proſcripſerat illum Themis Gallica:
Hac Te demum lue liberarunt Conſcripti Patres:
Clementiæ fuit eorum, quòd ſerò,
Prudentiæ, quòd ſat citò,
Iuſtitiæ, quòd meritiſſimò
Illum propulerint.
Ne quæras mortis genus,

Vix ſciri poteſt,
Quia omnia genera mortis meruit, qui mortem expetivit omnium:
Si tamen rem liceat aſſequi coniectura,
Mortuus eſt propter Plethoram:
Simile fatum illius, fato Veſtalis Romanæ,
Deceſſit obrutus Theſauris;
In hoc tamen diſſimile, quòd illa
Oblatis, Iſte ſublatis obruitur.

Abi, Viator!
Nec plura quære, ne perhorreſcas:
Abi,
Et Tibi gaude, Illi luge.

Obiit Anno Gallicæ Salutis, 1649.